

Hermann Lembke Friedrich Bernhardt Gehren von

**Hermannus Lembke/ ... Ad Disputationem Inauguralem Quam Dn. Fridrich Bernhard von Gehren/ Rostochiens. De Sepultura Punitorum habebit ad diem XVIII huius Mens. Ianuar. Omnes omnium Ordinum Cives Academicos, Literatos & Literatorum Fautores amice & peramanter vocat & invitat**

Rostochii: Kilius, 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730738973>

Druck Freier  Zugang





N<sup>o</sup>. K. — 2 (130.)



20. Rehan, de expensis litium.
21. Rechenberg, an casus regio, ejus sit religio?
22. Chladenius, de juramento subjectionis, speciatimque in civi-  
tum praestatis solito.
23. Quosner, de mutua conjugum successione.
24. Quosner, de executione rei judicatae.
25. Lynoyer, de femiplenis probationibus.
26. Perdes, explicatio et conciliatio L. IV. C. cum l. xxxi ff  
de LL.
- 27<sup>a</sup> Lemoye, de sepulture punitorum  
27<sup>b</sup> de privilegiis feminarum.
28. Calhous, de etridis.
29. Brocys, de Pomponio historiae romanae ignaro.
30. Wüdler, de origine et natura bonorum censuitorum.
31. Praus, tractatus juris emphyteutici.
32. Böhmer, de fundamentis generis juris parochialis.
33. Behm, consultatio jurid. super causa quodam usurario.
34. Nedemacher, de jure circa correctionem disciplinarem.
35. Wysel, de constituto possessoris.
36. Fremberg, de nuptiis.
37. Fremberg, de defensione necessaria.
38. Fremberg, de tutelis.
39. Fremberg, de furtis.
40. Wirth, de infanticidio.
41. Quether, de furtis.
42. Quosner, de successione legitima.
43. Quosner, de eo quod interest vulgo Interesse.
44. Quosner, de publicis judiciis, eorumque speciebus.

HERMANNUS

Leimbke / <sup>27a</sup>

I. U. D. & Cod. Profess.

FACULTATIS JURIDICÆ

In ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SENIOR,

& ad hunc Actum

DECANUS,

Suo & DNN. Collegarum nomine,

*Ad*

DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

*Quam*

DN. FRIDRICH BERNHARD

von Gehren / Rostochiens.

DE

SEPULTURA PUNI-  
TORUM

habebit ad diem XVIII hujus Mens. Januar.

Omnes omnium Ordinum Cives

Academicos, Literatos & Literatorum Fau-

tores amice & peramanter vocat & invitat,

ROSTOCHII,

Universitatis Tenogr. Anno 1672.

LECTORI SALUTEM.



Uo quasi sunt Reipublicæ fulcra: Præmia atque Pœnæ, quibus si non rite sustineatur, suâ mole eam ruere atq; plane collabascere necesse est. Cum ergo nostra Jurisprudencia Justitiam in negotia humana introducere, & per hoc, salutem ac felicitatem Reipublicæ, quæ post modum ad singulorum civium redundat utilitatem, omnibus modis promovere, satagat, bonos non solum metu pœnarum, sed etiam præmiorum exhortatione efficere studet. *l. 1. §. 1. ff. d. Justit. & jur.* Et quoniam Justitiæ munus est, suum cuiq; perpetuo ac constanter tribuere, *l. 10. ff. eod.* merito Eadē hominū scelera atq; fraudes, damnis, vinculis, ignominia, verberibus, exiliis & morte deniq; ipsâ multare; justam verò vitam ac honestum laborem honoribus, præmiis & splendore decorare docet, ut alii hoc ipso incitati eadē virtutis incedant viâ. Eleganter sane *Xenophon* prodidit: cætera quæq; animantia tribus rebus potissimum adduci ad obtemperandū, Cibo, si quæ fuerint abjectiora; aut Delinimento, si generosiora, veluti equi; aut Plagis, si contumaciora, velut asini: hominem autem, cum sit animal omnium generosissimum, non tam minis ac suppliciis cogi, quàm præmiis ad officium suum & honeste agendum invitari. Quamquam enim Boni virtutis amore bonitatem amplectantur & vitia fugiant, juxta illud *Horatii ad Quintum lib. 1. Epist. 16.*

Oderunt peccare boni virtutis amore,  
Tu nihil admittes in te, formidine pœna.

imò Sapientibus viris ipsa virtus magnum per se præmium esse

esse censeatur, attamen quoniam bonorum magna semper  
est raritas, frequenter autem homines ita nati & instituti  
videantur, ut nec inter flagitiorum impunitates vivere, nec  
de Republica bene mereri possint, nisi fructū aliquem spe-  
rent bonæ suæ voluntatis, monente *Cicerone ad Attic. prom.*  
de Republica et que præmiis & honoribus, quæ virtuti  
sunt proposita, quam pœnis, quæ sceleribus, contineri li-  
quido apparet. Confirmavit id non solum suis temporibus  
*Solonimò & Theophrastus*, qui referente *Stobæo Sermon. 41*  
percontati: quid magis ad Reipublicæ salutem prodesset  
& quanam re communis hominum societas conservari o-  
primè posset? responderunt: Si boni præmiis invitentur,  
mali autem pœnis coercerentur. Sed etiam Imperatores no-  
stri inculcarunt, dum in *l. ult. C. d. statuis & imagin. § 13. C.*  
*de Offic. Rect. Provinc.* sanxerunt: virtutum præmia meren-  
tibus tribui debere, & justissimos & vigilantissimos publicis  
acclamationibus collaudari ab omnibus posse, ut iis hono-  
ris auctiores proferantur processus, & contra injustos &  
maleficos quærelarū vocibus accusandos esse, ut censuræ  
imperialis vigor eos absumat. Imò non abludivit ab hac sen-  
tentia Sacra Scriptura, quando exemplum adducit Summi  
Legislatoris, qui in promulgatione Legis; promissionē præ-  
miorum & comminationem pœnarum expressis jungit  
verbis, ut boni per benigna promissa ad obedientiam in-  
vitantur *Exod. 20. v. 5. 6. Et 1. Pet. c. 2. v. 14.* Principes &  
Magistratus ad vindictam malefactorum, ad laudem verò bo-  
norum à Deo missos esse docet. Sicut igitur Respublica be-  
ne sese habet, ubi præmia & honores bene merentibus re-  
cte distribuuntur, ita vice versâ ea maximopere laborat,  
(2) ubi

*Senec  
e vilescit  
si honor  
in d. in ab*

E

S

S



ubi boni ac fortes viri videre coguntur, se nulla præmia ob  
suam virtutem sperare posse, sed alios potius sibi præferri,  
qui, ex infima fæce vulgi oriundi, neq; virtute, neq; prudentiâ,  
neq; ingenii solertiâ præditi sunt, vel ullis in Republica  
cam meritits clari habentur, idq; fieri vel ob solam Principum  
gratiam, quæ quandoq; etiam in indignos cadit, vel  
ob vilissimam emptionem, dum nempe officia & honores  
quasi in officina tabernaria mercatorum, publice venduntur.  
Quibus certè malis nullum in Republica gravius excogitari  
potest, cum nec graviores morus, nec frequentiores  
eversiones & concussiones, quàm exinde contingant. Oritur  
inde odium, ex odio contemptus, ex contemptu contentio,  
ex contentione seditio, & ex hac tandem ipsa Republicæ  
ruina. Ad Pœnas quod attinet, earum quoq; irrogatio  
Republicæ non minus utilis est, ac necessaria. Primum enim  
dignitas autoritasq; Magistratus per eam conservatur,  
quæ alias vilesceret, nisi animadvertetur in facinerosos  
*arg. l. 10. ff. de offic. Præs.* Deinde fontes & delinquentes  
hoc modo castigantur & emendantur, quò pœnitentiâ ducti,  
cautius mercari discant, à delictis imposteum abstineant,  
nec iterum peccent; qui enim virtutis amore aut timore  
Dei, à scelere abduci nequeunt, eos correctionis saltem  
medicina compellat & disciplinæ severitas coërceat. *c. 7. ibi Clerici. X. d. Election. l. un. C. d. emend. propinq.* Imò cæteri à  
similibus peccatis metu pœnæ statutz deterrentur, & meliores  
redduntur, cum pœnarum fructus omnium maximus  
pertineat ad exemplum, & supplicium unius, metus & salus  
sit multorum *l. i. in pr. C. ad L. Jul. repetund. l. 4. C. si serv. export. ven.* Quid quod? obtinetur & conservatur  
tranquillitas publica, quando homines mali conqui-  
runtur

runtur & condignè plectuntur l. 3. ff. de offic. Praef. Sicut namq; in corpore humano, monente Cic. Philip. 8 si quid & hujusmodi, quod reliquo corpori noceat, illud uri atq; secari debet, ut membrorum aliquid potius, quam totum corpus pereat: ita in Reipublicæ corpore, quidquid est pestiferum, amputari debet, ut, sublato malo, reliquum sit saluum. Accedit quod solatium aliquod offensis vel etiam eorum cognatis atque propinquis afferatur, si videant adversarium nocentem condigno supplicio affici, cum aliàs forte non quiescerent, sed proprio ausu se suosq; ipsimet, non sine Reipubl. incommodo, vindicarent. l. 28. §. 15. ff. de pœn. Varia autem sunt pœnarum genera, quæ tamen, auctore Carpzov. Prax. Crim. part. 3. quæst. 128. 129. & 130. moribus hodiernis, ad tria membra referri possunt. Primo loco quædam pœnæ sunt capitales, quæ vitam hominis adimunt, & dicuntur ultima supplicia, ut sunt: Decollatio, Suspendio, Rotâ confusio, Suffocatio, Combustio, Dissectio retin quatuor partes. Secundo loco quædam non sunt capitales, sed solum corporis afflictivæ, quæ quidem corpora inferuntur, vitam tamen non adimunt, quales sunt: Fustigatio, Abscisio membri corporis, ut puta manus vel digitorum, Damnatio ad triremes, metallum vel opus aliud publicum. Tertiò pœnæ quædam sunt civiles, quæ nec vitam adimunt, nec corpori directè inferuntur, cujus generis sunt: Multa pecuniaria, Carcer & Relegatio. Quemadmodum autem uni modulo omnes aptare velle calceos per absurdum est: ita quoq; hæc pœnæ non promiscuè infligi debent, sed habitâ delicti qualitate & exactè consideratâ ejus circumstantiâ, quæ nam cuique convenient, optimè & sollicitè prospiciendum, ne leviores pœnæ gravioribus delictis, aut vice versâ, levioribus delictis graviores pœnæ imponantur. Exigit quippe hoc Justitiæ ratio & æqualitas, ut pœna semper respondeat delicto ei; commensuretur. c. non afferamus. caus. 24. quæst. 1. l. 8. C. ad L. Jul. de v. publ. Perspiciendum ergò Judicanti, ne quid aut durius, aut mitius constituat, quàm causa deposcit: nec enim aut severitatis aut clementiæ gloria affectanda est: Sed perpenso iudicio, prout quæq; res expostulat, statuendum est, ut optimè monet *Justus Marcianus* in l. n. ff. de pœnis. Planè interdum magis expedit Severitatem Clementiâ temperare, & ad misericordiam, potius, quàm rigorem nimium deflectere, quotiens nempe causæ, temporis & personæ ratio atque circumstantia id admittit, imò sine

) ( 3

publico

publico detrimento fieri potest. *Recess. Imper. Spirens. de Anno 1526. §. 8*  
Quanquam enim Leges oporteat quidem constitui rigidas, pœnæ ta-  
men Legibus aliquando exigendæ mitiores. Hinc molliendas potius,  
ait *Herzog. in l. 42. ff. de pœn.* quàm exasperandas interpretatione pœ-  
nas. Satius quoq; est impunitum relinquere facinus nocentis, quàm  
innocentem damnare *l. 5. pr. ff. de pœn.* Proinde hi, qui indulgentiam  
pœnarum rigidè impugnant, omnem licentiam parcendi iudici dene-  
gantes, & rigorem exequendi semper postulantes, contra dictamen  
Christianæ caritatis peccare videntur. Sanè quotquot vivimus ho-  
mines in hoc universo, quotidie Summam Dei Majestatem, variis pec-  
catis, quæ infinitam ejus merentur pœnam & vindictam, offendimus;  
& tamen nemo nostrum est, qui, postquam peccaverit, & jam flagellis  
Dei arctari & vinci consideraverit, non recurrat ad immensam ejus  
clementiam, sibi que condonari velit: & ipse omnipotens Deus liben-  
ter quoque pœnitentiam nostram suscipit, multa delinquentibus  
multa remittit, & suo iudicio hoc quod erravimus abscondit *can. A-*  
*pud. caus. 32. quest. 1.* quo etiam nomine maximè in Sacris Literis lauda-  
tur. *Exod. 34. v. 6 & 7. Ps. 86. v. 15. & Ps. 103. v. 8. Deut. 5. v. 9.* Si ergo  
Deus benignus est, quid ni etiam Justitiæ Sacerdotes tales esse  
studeant, ubi enim Paterfamilias largus est, dispensator ejus non de-  
bet esse tenax. Et proinde, etiamsi erreretur, si modica pœna impona-  
tur, melius tamen est, propter misericordiam rationem reddere, quàm  
propter crudelitatem *c. Alligant. caus. 26. quest. 7.* Sed in hoc negotio  
magnâ circumspectione & prudentiâ opus est. Non enim iudex sibi  
misericordiam & clementiam ex proprio cerebro fingere potest, sed  
ea debet proficisci ex rectæ rationis iudicio, quod leges & utilitatem  
Reipublicæ pro norma habet. Ex ficta quippe clementia & capite suo  
velle procedere non solum periculosum, sed etiam temerarium & le-  
vitas est plenissimum. Semper, ait *Cicero pro Flacc.* graves & sapien-  
tes iudices in iudicandis rebus, quid utilitas Civitatis, quid commu-  
nis salus, quid Reipublicæ tempora poscerent, cogitare debent. Un-  
de si videt Magistratus lenitatem pœnæ & facilitatem veniæ, liberio-  
rem peccandi licentiam afferre, non adhibere debet Clementiam, sed  
potius Severitatem, neque pœnam facile remittere aut mitigare, a-  
liquin vitia augentur, quod Reipublicæ damnosum, neq; ferendum.  
Igitur aliquandò evenit, ut aliquorum maleficiorum supplicia ex-

cerben

cerbentur, quotiens nimirum multis personis grassantibus exemplo  
opus est *l. 16. §. ult. ff. d. pœn.* aut ipsum delictum est gravissimum. Un-  
de interdum Reus ad pœnam mortis condemnatus, corio imponitur  
& ad locum supplicii ab equo per vias & plateas, non absque ingenti  
omnium membrorum cruciatu, vi quasi rapitur. *Ordinat. Crimin. art.*  
*193.* Interdum rei ad rotam condemnati, crura & brachia rotâ prius  
franguntur, quàm ipsum cor & caput contundatur. Interdum quo-  
que Reus jam jam rota contundendus, vehiculo impositus ad desti-  
natum executioni peragenda locum ducitur, & forcipibus candenti-  
bus adurit. *Ord. Crim. art. 194.* Imò quanquam pœna in defun-  
ctum constitui nequeat, *l. 20. ff. de pœn.* interdum tamen ea etiam post  
mortem extenditur, dum cadavera Reorum vel rotæ, factâ executione-  
ne, affiguntur & imponuntur, vel aliàs sepulturâ privantur, quo  
nempe recordatione istius pœnæ à delinquendo cæteri facilius absti-  
neant & metu cognitæ & horrendæ pœnæ deterreantur, ne in mores  
tandem abeant maleficia. Quam posteriorem materiam *Prænobilitatis*  
*atq; Clarissimus* DN. FRIDERICUS BERNHARDUS von Gehren/  
*J. U. Candidatus florentissimus* ductu *l. II. C. d. Relig. & sumpt. funer.* ul-  
terius deduxit & optimè elaboravit in Disputatione hac sua Inaugu-  
rali, quam pro summis in utroque jure honoribus, quos sedulo la-  
bore promeruit, consequendis, publico jurisprudentum examini  
submittit & inscripsit de SEPULTURA PUNITORUM. Natales &  
vitam ante actam Laudati Dni Candidati quod concernit, natus il-  
le est Rostochii Anno M. DC. XLIII. Patre Viro Nobilissimo atque  
Consultissimo DN. REINHOLDO von Gehren/ *J. U. D. & Syndico*  
ejusdem Civitatis meritissimo. Matre ANNA Siebrandes/ Fœ-  
mina omni virtutum decore Spectatissimâ. Cumque à primis statim  
annis ductu privatorum Præceptorum, nempe DN. JOHANNIS  
FAUSTII, S. S. Theologiæ Doctoris & Professoris nunc Ordinarii in  
Argentoratensi Academia, DN. Lic. HELWIGII, & M. CAROLI  
SCHRÖDERI, nec non procedente tempore, DN. M. HEINRICI  
DRINGENBERGII, Linguae Hebraicæ & Cateches. Profess. Celeber-  
rimi, Collegæ nostri honoratissimi, humanioribus literis initiatus  
esset, Anno M. DC. LIX. ad Academiam Juliam missus est, in qua  
cum per anni spatium vixisset, Hassiam petens Marpurgi Cattorum  
substitit, ibidemque sub Viro Excellentiss. DN. HERMANNO  
DUISIN.


DUISINGIO, J. U. D. & tum temporis Politices Profes. Disputatio-  
nem Politicam DE SOCIETATIBUS SIMPLICIBUS publico eru-  
ditorum examini subjecit. Inde se contulit in Academiam Argento-  
ratensem, captam disciplinæ Practicæ nec non juris Civilis telam au-  
spicio DN. D. REBHANI & DN. BOECLERI, Amplissimis atque Ex-  
cellentissimis prædictæ Academiæ Professoribus continuaturus. Hinc  
Patriam reversus informatione & publicâ & privatâ Amplissimorum  
Dominorum Professorum hujus Universitatis usus est. Sed cum Ge-  
nerosissimus DN. BURCHART. MULLER de LÜHNEN. REGIS  
SUECIÆ GENERALIS, eum Ephorum suorum Filiorum constitu-  
eret, illis postmodum in itinere tum per utramque Belgii partem,  
tam eam quæ unitis Provinciis, quam quæ Regi Hispaniæ parer, tum  
per Galliam & nobiliores Germaniæ provincias adfuit. Prædictos  
Dominos MULLEROS de LÜHNEN, Ipso postquam reduxerat, impe-  
ratorâ ab ipsorum Domino Parente veniâ, non diu Rostochii commo-  
ratus Daniam petiit, inque Regia urbe per semestre & quod excur-  
rit, spatium subsistit. Redux tandem factus, Legalem terminum  
absoluturus, jussu suasque eorum, quorum auctoritas multum a-  
pud eum valet, nomen suum Amplissimæ nostræ Facultati  
professus est, obtinuitque ut non solum ad privatum, sed & eò  
summâ cum laude superatò, ad Publicum hocce admitteretur Exa-  
men. Quod cum, Deo volente, ad diem XVIII. Januar. sit habendum,  
Magnificum Dominum RECTOREM, Admodum Reve-  
rendos, Amplissimos, Consultissimos, Experientissimos,  
Clarissimos, Præstantissimos Dnos Professores, Doctores,  
Licentiatos, Mysteriorum Dei Dispensatores, Linguarum  
ac artium Magistros, Studiosæ Juventutis Coronam, o-  
mnesque Literatos & Literatorum Fautores  
amicè ac sedulo invitatos & ro-  
gatos volo.

P. P. sub Sigillo Facultatis die 7. Januarii  
Anno M. DC. LXXII.



45. Reusner, de jure venandi.  
46. Reuther, de dominio.  
47. Reuther, de instrumentis sive literariis documentis.  
48. Reiter, de operis sui nunciatione.  
49. Reiter, de emptione et venditione.  
50. Preimberg, quaestiones juris civilis et feudalis.









fēcus atq; tutor rerum & facultatum  
tionem facit, dominus est; proinde  
ad studia ministrare potest suapte,  
modò prodigalitatē non arguatur  
proficiat. Proinde non liberis, sed  
debet, qui sumptus liberaliores & e  
strarunt, *arg. c. damnū. 86. de R. J. in  
l. 203. d. R. J.* Et collatio cessabit, quat  
des debitā paternā substātiæ portio  
fraudari videantur, & inæqualitas  
quæ ut evitetur, vel ea sint confer  
nulli collationis oneri fuissent ob  
*de collat.* Non inæqualitatis objecta  
est, cum ab æqualitate sæpius jura  
& exorbitent, maximè circa casus, c  
sim leges collationem imperavere.  
in quos expensæ studiorum largior  
præ liberis cæteris præcipuum con  
bent, sed in studia eas insumserunt,  
mis, nullā tamen suā, sed parentum  
nistrarunt, proindeq; arbitrato bene  
nem cogi nequeunt. *d. l. hic titulus. 1.  
2. §. de illis, 2. ff. de collat.* Fatemur tamen  
dere, ut si quid in unius filiorum stu  
expensum fuerit, cæteris hoc nomi  
fatio fiat; maximè cum filio, qui ma  
gali sumptu vivere debuisset, quæ  
patio imputari possit. *arg. l. si igitur*

Sunt, qui limitationem octavarum  
studiorum gratiā subministratos  
habere nequeat, si ob istos paternā  
ciasset, etiam sine juramento. *Jas.*

eroga  
ampt  
uerit,  
studiis  
nocere  
mini  
et. eod.  
phere  
do de  
beros;  
lioqui  
pr. C.  
e pot  
ecedāt  
xpres  
; filij,  
nihil  
ut ha  
sè ni  
ubmi  
llatio  
3. l. cum  
tē sua  
eratus  
ropen  
& fru  
artici  
ut filij  
cipuos  
renun  
d locum.  
7.3.

